



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De|| EXTREMA VNCTIO-||NE, ORDINE, ET MATRI-||MONIO.|| SINGVLIS LIBRIS  
EX-||PLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

Cap. I. Qui hæretici hoc Sacramentum negârint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54104)



DE SACRAMEN-  
TO EXTREMÆ VN-  
CTIONIS.  
LIBER VNICVS.

**C**ONTROVERSIÆ DE SACRAMEN-  
to Extremæ vñctionis, sunt omninò se-  
ptem. PRIMA, eaquè potissima, de gene-  
re; An sit legis nouæ Sacramentum verè  
ac propriè dictum. SECUNDA, de ma-  
eria: TERTIA, de forma. QVARTA, de effectu.  
QVINTA, de ministro. SEXTA, de suscipiente. SE-  
PTIMA, de cæremoniis.

CAPVT PRIMVM.

*Qui hæretici hoc Sacramentum negârint.*

**H**ÆRETICI PER VLTIRITVM VNCTIONIS  
infirmorum è numero Sacramentorum auferre  
conati sunt. PRIMO, Waldenses, vt referunt Æ-  
neas Syluius lib. de origine Boëmorum, cap. 35.  
& ante eum Guido Carmelita in summa de hæreticis. SECUN-  
DO, Albigenses, teste Antonino in summa Theologica, p. 4.  
tit. II. cap. 7. §. 5. TERTIO, Iohan. Wiclefus, teste Thoma  
Walden. tom. 2. de Sacram. cap. 163. & satis ipse de se id te-  
statur in 4. lib. Trialogi, cap. 25. vbi contendit, hoc Sacramen-  
tum neque à Christo, neque ab Apostolis institutum, proinde  
nec verè Sacramentum esse.

AA 4

Hos

Hos imitantur hæretici huius temporis. Lutherus in libro de captiuitate Babyl. cap. de Extrema vñctione, non reicit hunc ritum, tamen negat Sacramentum esse propriè dictum. Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 19. §. 18. 19. 20. & 21. & Kemnitius in 2. part. Examin. à pag. 1102. vſque ad 1135. non ſolùm Sacramentum eſſe negant, ſed etiam irrident more ſuo. Idem facit Melanchthon in locis, tit. de Vñctione. Idem facit etiam Ioan. Brentius in Confess. Wirtemberg. cap. de Extrema vñctione, & Magdeburgenſes Centur. 7. & ſequentibus, cap. 6. de ritu viſitationis infirmorum.

Eccleſia verò Catholica palàm affirmat, Vñctionem extremam Sacramentum eſſe verè ac propriè dictum. Id enim expreſſè habent Concil. Florent. in inſtructione Armenorum, & Trident. ſeſſione 14. can. 1. de Extrema vñctione, & omnes Theologi, lib. 4. ſentent. diſt. 23. Poſſe autem hæc veritas tribus argumentis probari. PRIMÒ, ex Scripturis. SECUNDO, ex traditione Eccleſiaſtica. TERTIO, ex ratione.

## CAPVT SECVNDVM.

*Probatnr ex Scripturis Vñctionem infirmorum eſſe Sacramentum propriè dictum.*



QVOD attinet ad PRIMVM: duæ Scripturæ proferruntur ab omnibus, vna ex cap. 6. Marci, altera ex cap. 5. Iacobi.

DE PRIORE non omnes conueniunt, an cùm Apoſtoli vngebant oleo infirmos, & curabant; illa fuerit vñctio Sacramentalis, de qua nunc diſputamus: an ſolùm fuerit figura quædam, & adumbratio huius Sacramenti. Qui tenentur PRIOREM ſententiam, vt Thom. Wald. loco citato, & Alphonſus de Caſtro lib. de hæreſibus, verbo Extrema vñctio, ea ratione ducuntur, quòd Beda, Theophyl. & Oecumenius in commentariis Marci, & Iac. videantur dicere eandem eſſe vñctionem, cuius fit mentio in vtroque loco. Sed proſequenti probabilior eſt ſententia POSTERIOR, quæ eſt Ruardi in explicacione art. 11. & Ianſenij in cap. 6. Marci, & Dominici à Soto. diſt. 23. q. 1. art. 1. & aliorum. Et mihi certè eo etiam nomine gratior, quòd videam Lutherum, Calvinum, & Kemnitium